

26TH LATIN SUMMER SCHOOL

13th-17th JANUARY 2020

Eastern Avenue Building, University of Sydney

LEVEL 2C

**Instructor: Sudan Ford
and Damaris Wikramanayake**



Reading schedule

Monday	session 1	Introduction to course Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 1	Chapters 31 & 32
	session 2	Pliny <i>Naturalis Historia</i> – selection 1	Elephants Strange uses of ivory
	session 4	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 2	Chapters 33 & 34
Tuesday	session 1	Pliny <i>Naturalis Historia</i> – selection 2	Elephant versus snake Ethiopian elephants
	session 2	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 3	Chapters 35 & 36
	session 4	Catullus 5 Catullus 7	Lines 1–13
Wednesday	session 1	Pliny <i>Naturalis Historia</i> – selection 3	The basilisk
	session 2	Pliny <i>Naturalis Historia</i> – selection 4	A raven and a cobbler
	session 4	Catullus 8	Lines 1–19
Thursday	session 1	Pliny <i>Naturalis Historia</i> – selection 5	Insects: tiny wonders Paean to the flea
	session 2	Pliny <i>Naturalis Historia</i> – selection 6	Ants Feats of ants
	session 4	Cicero – Extracts from In <i>Catilinam</i> In <i>Verrem</i>	1: 1-3 1: 1-3
Friday	session 1	Catullus 85 Catullus 87	Lines 1–2 Lines 1-4
	session 2	overflow & revision	

Friday note: There are no prescribed texts for Session 2 on Friday. This session is reserved for spill-over texts, addressing any remaining grammar questions, and extra activities if time allows.

Monday

Cicero *Pro Caelio* – part 1

Chapter 31

Horum duorum criminum video auctorem, video fontem, video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis. Necare eandem voluit ; quaesivit venenum, sollicitavit servos, potionem paravit, locum constituit, clam attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili verum etiam nota; de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa. 5

Chapter 32

Sed intellegis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis. Quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, so petulanter facimus, si matrem familias secus quam matronarum sanctitas postulat nominamus. Sin ista muliere remota nec crimen ullum nec opes ad oppugnandum M. Caelium illis relinquuntur, quid est aliud quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos qui insectantur repellamus? Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viroófratrem volui dicere; semper hic erro. Nunc agam modice nec longius progrediar quam me mea fides et causa ipsa coget: nec enim muliebris umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt. 5 10

Pliny the Elder *Historia Naturalis* – selection 1

Elephants – intelligence, use of the trunk (book 8.1, 8.29)

Maximum est elephans proximumque humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrii et imperiorum obedientia, officiorum quae didicere memoria, amoris et gloriae voluptas, immo vero, quae etiam in homine rara, probitas, prudentia, aequitas, religio quoque siderum solisque ac lunae veneratio.

Palmas excelsiores fronte prosternunt atque ita iacentium absumunt fructum. Mandunt ore, spirant et bibunt odoranturque haut inproprie appellata manu. animalium maxime odere murem et, si pabulum in praesepio positum attingi ab eo videre, fastidiunt. cruciatum in potu maximum sentiunt hausta hirudine, quam sanguisugam vulgo coepisse appellari adverto. Haec ubi in ipso animae canali se fixit, intolerando adfcit dolore.

Strange uses of ivory (8.31)

Dentibus ingens pretium et deorum simulacris lautissima ex his materia. invenit luxuria commendationem et aliam expetiti in callo manus saporis, haud alia de causa, credo, quam quia ipsum ebur sibi mandere videtur. magnitudo dentium videtur quidem in templis praecipua, sed tamen in extremis Africae, qua confinis Aethiopiae est, postium vicem in domiciliis praebere saepesque in his et pecorum stabulis pro palis elephantorum dentibus fieri Polybius tradidit auctore Gulusa regulo.

Cicero *Pro Caelio* – part 2

Chapter 33

Sed tamen ex ipsa quaeram prius utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse et leniter et urbane. Si illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula qua ista delectatur sed illa horrida quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus, qui obiurget mulierem et qui pro me loquatur ne mihi ista forte suscenseat. Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum enim dolorem capiet qui istam non videbit. Qui profecto, si exstiterit, sic aget ac sic loquetur: 'Mulier, quid tibi cum Caelio, quid cum homine adulescentulo, quid cum alieno? Cur aut tam familiaris fuisti ut aurum commodares, aut tam inimica ut venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, non proavum, non abavum, non atavum audieras consules fuisse;

Chapter 34

non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi ac fortissimi viri patriaeque amantissimi, qui simul ac pedem limine extulerat, omnis prope civis virtute, gloria, dignitate superabat? Cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit? cognatus, adfinis, viri tui familiaris? Nihil eorum. Quid igitur fuit nisi quaedam temeritas ac libido? Nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat, non virgo illa Vestalis Claudia quae patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebei de curru detrahi passa non est? Cur te fraterna vitia potius quam bona paterna et avita et usque a nobis cum in viris tum etiam in feminis repetita moverunt? Ideone ego pacem Pyrrhi diremi ut tu amorum turpissimorum cotidie foedera ferires, ideo aquam adduxi ut ea tu incestu uterere, ideo viam munivi ut eam tu alienis viris comitata celebrares?'

Tuesday

Pliny the Elder *Historia Naturalis* – selection 2

Elephant versus Snake (8.32)

Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines et in Mauretania, ferunt Aethiopia et Trogodytae, ut dictum est, sed maximos India bellantesque cum iis perpetua discordia dracones tantae magnitudinis et ipsos, ut circumplexu facili ambient nexuque nodi praestringant. conmoritur ea dimicatio, victusque conruens complexum elidit pondere.

Ethiopian elephants (8.35)

Generat eos Aethiopia Indicis pares, vicenum cubitorum. id modo mirum, unde cristatos Iuba crediderit. Asachaei vocantur Aethiopes apud quos maxime nascuntur; narrantque in maritimis eorum quaternos quinosque inter se cratium modo inplexos erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabiae vehi fluctibus.

Cicero *Pro Caelio* – part 3

Chapter 35

Sed quid ego, iudices, ita gravem personam induxi ut verear ne se idem Appius repente convertat et Caelium accusare illa sua gravitate censoria? Sed videro hoc posterius atque ita, iudices, ut vel severissimis disceptatoribus M. Caeli vitam me probaturum esse confidam. Tu vero, mulieróiam enim ipse tecum nulla persona
introducta loquorósi ea quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae
moliris, quae arguis, probare cogitas, rationem tantae familiaritatis,
tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas atque exponas
necesse est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria,
Baias, actas, convivia, comissiones, cantus, symphonias, navigia
iactant, idemque significant nihil se te invita dicere. Quae tu quoniam
mente nescio qua effrenata atque praecipiti in forum deferri
iudiciumque voluisti, aut diluas oportet ac falsa esse doceas aut nihil
neque crimini tuo neque testimonio credendum esse fateare.

Chapter 36

Sin autem urbanus me agere mavis, sic agam tecum. Removebo illum senem durum ac paene agrestem; ex his igitur sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem qui est in isto genere urbanissimus; qui te amat plurimum, qui propter nescio quam, credo, timiditatem et nocturnos quosdam inanis metus tecum semper pusio cum maiore
sorore cubitabat. Eum putato tecum loqui: ' Quid tumultuaris, soror?
quid insanis ?

Quid clamorem exorsa verbis parvam rem magnam facis ?

10

Vicinum adolescentulum aspexisti; candor huius te et proceritas, voltus oculique pepulerunt; saepius videre voluisti; fuisti non numquam in isdem hortis; vis nobilis mulier illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum. Non potes; calcitrat, respuit, repellit, non putat tua dona esse tanti. Confer te alio. Habes hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco paratos quo omnis iuventus natandi causa venit; hinc licet condiciones cotidie legas; cur huic qui te spernit molesta es ?

15

Catullus in love

V. ad Lesbiam

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis!
soles occidere et redire possunt:

nobis cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.

5

da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

10

VII. ad Lesbiam

Quaeris, quot mihi basiationes
tuae, Lesbia, sint satis superque.
quam magnus numerus Libyssae harenae
lasarpiciferis iacet Cyrenis
oraclum Iovis inter aestuosi

5

et Batti veteris sacrum sepulcrum;
aut quam sidera multa, cum tacet nox,
furtivos hominum vident amores:
tam te basia multa basiare
vesano satis et super Catullo est,
quae nec pernumerare curiosi
possint nec mala fascinare lingua

10

Wednesday

Pliny the Elder *Historia Naturalis* – selection 3

The basilisk (8.78–79)

Eadem et basilisci serpentis est vis. Cyrenaica hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula ut quodam diademate insignem. sibilo omnes fugat serpentes nec flexu multiplici, ut reliquae, corpus inpellit, sed celsus et erectus in medio incedens. necat frutices, non contactos modo, verum et adflatos, exurit herbas, rumpit saxa: talis vis malo est. creditum quondam ex equo occisum hasta et per eam subeunte vi non equitem modo, sed equum quoque absumptum. atque huic tali monstro — saepe enim enectum concupivere reges videre — mustellarum virus exitio est: adeo naturae nihil placuit esse sine pare. inferciunt has cavernis facile cognitis soli tabe. necant illae simul odore moriunturque, et naturae pugna conficitur.

Pliny the Elder *Historia Naturalis* – selection 4

A raven and a cobbler (10.121–123)

Tiberio principe ex fetu supra Castorum aedem genito pullus in adpositam sutrinam devolavit. is mature sermoni adsuefactus, omnibus matutinis evolans in rostra in forum versus, Tiberium, dein Germanicum et Drusum Caesares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat, postea ad tabernam remeans, plurium annorum adsiduo officio mirus. hunc sive aemulatione vicinitatis manceps proximae sutrinae sive iracundia subita, ut voluit videri, excrementis eius posita calceis macula, exanimavit, tanta plebei consternatione, ut primo pulsus ex ea regione, mox interemptus sit funusque aliti innumeris celebratum exequiis, constratum lectum super Aethiopum duorum umeros, praecedente tibicine et coronis omnium generum ad rogam usque, qui constructus dextra viae Appiae ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato fuit.

hoc gestum M. Servilio C. Cestio cos. a. d. V kal. Apriles.

Catullus

VIII. ad se ipsum

Miser Catulle, desinas ineptire,
et quod vides perisse perditum ducas.
fulsere quondam candidi tibi soles,
cum ventitabas quo puella ducebat
amata nobis quantum amabitur nulla. 5
ibi illa multa cum iocosa fiebant,
quae tu volebas nec puella nolebat,
fulsere vere candidi tibi soles.
nunc iam illa non vult: tu quoque impotens noli,
nec quae fugit sectare, nec miser vive, 10
sed obstinata mente perfer, obdura.
vale puella, iam Catullus obdurat,

nec te requiret nec rogabit invitam.
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.
scelesta, vae te, quae tibi manet vita?
quis nunc te adibit? cui videberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?
at tu, Catulle, destinatus obdura.

15

Thursday

Pliny the Elder *Historia Naturalis* – selection 5

Insects - tiny wonders (11.1)

Restant immensae subtilitatis animalia, quando aliqui ea neque spirare et sanguine etiam carere prodiderunt. multa haec et multigena, terrestrium volucrumque vita (alia . . . pinnata, ut apes, alia utroque modo, ut formicae, aliqua et pinnibus et pedibus carentia), et iure omnia insecta appellata ab incisuris, quae nunc cervicium loco, nunc pectorum atque alvi, praecineta separant membra, tenui modo fistula cohaerentia, aliquis vero non tota incisurae ambiente ruga, sed in alvo aut superne tantum imbricatis flexili vertebra, nusquam alibi spectatiore naturae rerum artificio.

Paeon to the flea (11.2–3)

ubi tot sensus collocavit in culice? et sunt alia dictu minora: sed ubi visum in eo praetendit? ubi gustatum adplicavit? ubi odoratum inseruit? ubi vero truculentam illam et portione maximam vocem ingeneravit? qua subtilitate pinnae adnexuit, praelongavit pedum crura, disposuit ieiunam caveam uti alvum, avidam sanguinis et potissimum humani sitim accendit! telum vero perfodiendo tergore quo spiculavit ingenio atque, ut in capaci, cum cerni non possit exilitas, reciproca generavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoque fistulosum esset!

Pliny the Elder *Historia Naturalis* – selection 6

Ants (11.109–110)

Et formicis rei publicae ratio, memoria, cura. Semina adrosa condunt, ne rursus in frugem exeant e terra, maiora ad introitum dividunt, madefacta imbre proferunt atque siccant. operantur et noctu plena luna, eadem interlunio cessant. Iam in opere qui labor, quae sedulitas! Et quoniam ex diverso convehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quae tunc earum concursatio, quam diligens cum obviis quaedam conlocutio atque percunctatio! Silices itinere earum adtritosis videmus et opere semitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re quid possit quantulacumque adsiduitas. Sepeliunt inter se viventium solae praeter hominem. Non sunt in Sicilia pinnatae.

Feats of ants (11.111)

Indicae formicae cornua Erythris in aede Herculis fixa miraculo fuere. aurum hae cavernis egerunt terra in regione septentrionalium Indorum qui Dardae vocantur. ipsis color felium, magnitudo Aegypti luporum. erutum hoc ab iis tempore hiberno Indi furantur aestivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis, quae tamen odore sollicitatae provolant crebroque lacerant quamvis praevelocibus camelis fugientes. tanta pernitas feritasque est cum amore auri.

Cicero *In Catilinam* 1.1-3

1. quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consili ceperis quem nostrum ignorare arbitraris?

2. O tempora, o mores! senatus haec intellegit, consul videt; hic tamen vivit. vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consili particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitamus. ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem quam tu in nos omnis iam diu machinaris.

3. an vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coacerent. habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

Cicero *In Verrem* 1: 1-3

1. quod erat optandum maxime, iudices, et quod unum ad invidiam vestri ordinis infamiaque iudiciorum sedandam maxime pertinebat, id non humano consilio sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo rei publicae tempore videtur. inveteravit enim iam opinio perniciose rei publicae vobisque periculosa, quae non modo apud nos sed apud exterarum nationum omnium sermone percrebruit, his iudiciis quae nunc sunt pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari.

2. nunc in ipso discrimine ordinis iudiciorumque vestrorum, cum sint parati qui contionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conentur, reus in iudicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis omnium iam opinione damnatus, pecuniae magnitudine sua spe et praedicatione absolutus. huic ego causae, iudices, cum

summa voluntate et exspectatione populi Romani actor accessi, non ut aufererem invidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurrerem. adduxi enim hominem in quo reconciliari e existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo Romano, satis facere exteris nationibus possetis, depeculatorem aerari, vexatorem Asiae atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae.

3. de quo si vos severe ac religiose iudicaveritis, auctoritas ea quae in vobis remanere debet haerebit; sin istius ingentes divitiae iudiciorum religionem veritatemque perfregerint, ego hoc tamen adsequar, ut iudicium potius rei publicae quam aut reus iudicibus aut accusator reo defuisse videatur.

equidem ut de me confitear, iudices, cum multae mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum studio officioque reppulerim, numquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum neque tanto opere pertimui ut nunc in ipso iudicio.

Friday

Catullus in love

LXXXV.

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.
nescio, sed fieri sentio et excrucior.

LXXXVII. ad Lesbiam

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
vere, quantum a me Lesbia amata mea est.
nulla fides ullo fuit umquam foedere tanta,
quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.